



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 53. Equites a Sigismundo defensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

sed se ex officii sui publici legibus id fecisse; præpositum enim se esse tuendis Regni finibus, proin publicos Reipublicæ traditores e medio tollere, sui muneris esse.

Sæcul. XV.
A.C.1429.

§. LIII.

Equites a Sigismundo defensi.

Hoc facinus novum pondus adjecit repetitis Polonorum, ac Lithuanorum querelis adversus Equites Teutonicos motis, quibus deponebant, quod eorum Ordo ad propagandam Christi fidem ipse quidem institutus esset, jam autem potius in illius ruinam tenderet. Ex quo inferri videtur, quod Sigismundus immerito Equitibus faverit, eosque defenderit adeo potenter, ut etiam inter ipsum Poloniæ Regem, & Witholdum magnum Lithuaniae Ducem jam octoginta annorum senem discordiæ semina spargeret. Enimvero Witholdum non modo stimulat, ut contra pacta cum Polonis inita Regis insignia acciperet, sed etiam spondebat, se eidem Regium honorem Cæsareo diplomate firmaturum; quod re ipsa factum foret, nisi Poloni ejusmodi consiliis fortiter obluçtati, & ipsemet Witholdus anno sequenti vivis ereptus fuisset. Nec etiam Martini Pontificis epistolæ, quas ad Polonorum preces ad ambos Prin-

Michov. l. 4.
c. 47.

Æn. Sylv.
Europ. c. 6.

Sæcul. XV. Principes dedit, eos a proposito dimovere poterant.
A.C. 1429.

§. LIV.

Hussitarum vastationes.

Krantz. 21. *Wandal. 17.* *20.* Ceterum fatius Sigismundo & Witholdo fuisset Martini Pontificis consilio acquiescere, qui utrumque contra Hussitas stimulabat; Hi enim altera jam in Silesiam irruptione, indeque tripartito agmine Hungariam, Poloniam, & Austriam invadentes, omnia ferro flammaque devastabant, & Catholicis, eorumque sacris proterve insultabant.

Sub idem tempus quidam Joannes de Prezibram, Vir doctus, magnæque apud Hussitas auctoritatis, ab eorum erroribus resipiscens, ad sinum Ecclesiæ reversus est, multosque contra hanc sectam libros conscripsit, quos inter præcipuus est tractatus quidam *de conditionibus belli justis* ad eorum Pastores, qui tum rerum summam gerebant. In hoc eis tyrannidem & impietatem vehementius exprobrat: in alio autem quodam libro asserit, quod Hussitæ in specie, ac secundum externum cultum pii, mansueti, ac submissi videantur, interius vero impii sint, tyranni, avari, crudeles, super omnes elati, moribus dissoluti, immisericordes; temerarii, atque ad quævis audenda projecti, quodque sese quibus-